


Botvidi, Johannes

# Theses de quaestione: Utrum Muschovitæ sint Christiani :



Tryck 36 A Br.

Tillkomstår 1705

Digitaliserad år 2015



National Library of Sweden

Reyher  
Allee  
(Poi)  
1700-1829

THESES  
DE QVÆSTIONE:

U T R U M  
MUSCHOVITÆ  
SINT CHRISTIANI?

Jussu S. R. M. Sveciæ &c.  
ad publicam disputationem

in  
ACADEMIA UPSALIENSI  
propositæ

JOHANNE BOTHVIDI,

Gotho, SS. Th. D. & Regis Concionatore,  
RESPONDENTE

M. ANDR. JOHANN. PRYTZ,

Prid. Calend. April. in Auditorio magno, hora 6. matutin.

Malach. I. v. II.

*Ab ortu Solis usque ad occasum ejus, magnum erit nomen meum in gentibus, & in omni loco suffimentum offeretur nomini meo, & munus purum, quia magnum nomen meum in gentibus erit, ait Jehova Exercituum.*

HOLMIÆ, prælo REUSNERIANO Anno. MDCXX.

Prædeunt denuo ex MSCto, curante

CASPAR. HENR. STARCK. Lubecens.

LIPSIÆ, typis & sumtibus BRANDENBURGERIANIS. 1705.



THESES  
DE QUERITIONE

U T R U M

MUSCHOVITAE

ANNO CHRISTIANI

MDCCCLXXXII

ACADEMIAE THEOLOGICAE

PROFESSORIS

JOHANNIS BOTTICELLI

ORDINIS SACRI THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

M. ANNO. JOHANNIS PHILIPPI

THEOLOGICAE FACULTATIS

PROFESSORIS

ACADEMIAE THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

PROFESSORIS

JOHANNIS PHILIPPI ANNO MDCCCLXXXII

ACADEMIAE THEOLOGICAE

UNIVERSITATIS

PROFESSORIS





L. B.



uam in Novis haut ita pridem Maris nostri Balthici  
Literariis anni 1704. mens. Decembr. p. 367. sq. pro-  
missam, exhiberit tibi hic iterato demuo pralo vides  
disputationem, ejus si nullam haberem aliam, præ-  
terquam, quæ a tempore pariter & locopeti solet, im-  
pellentem causam, esset, jam, opinor satis, quo tibi  
commendari nomine in presenti illa posset. At enim vero, cum &  
præstantia ipsius argumenti, (de quo quidem plura cæterequin ap.  
Mart. Lipen. Bibliothec. Real. Theolog. p. 330. Caspar Sagittar. In-  
troduc. in Histor. Eccl. cap. XX. §. 33. Sev. Walth. Slüter. Propylæ.  
Histor. Christian. p. m. 90. 91. & Dn. Bergium loc. mox citand. legen-  
da extant scripta) & tot etiamnum Eruditorum, quæ idem foade-  
re videbantur, accederent honorifica in eam elogia, non vane, si meo  
quicquã constat judicio, vel tanto magis dignam existimavi, quæ pri-  
stino iterũ nitori restituta, nova hac editione in lucẽ ex MSCto prodi-  
ret. Dudum est, ex quo Joh. Mieralius, Syntagmate suo, quod  
Historiam Ecclesiasticam complectitur, notissimus, theses hasce Joh.  
Bothvidi, (cujus scripta reliqua dabunt Henn. Witte Diar. Bio-  
graph. P. I. ad A. C. 1635. & Joh. Schefferi Svecia Literat. in Mülle-  
ri Bibliothec. Septentrion. Erudit. p. 89-92.) discursus doctissimos ap-  
pellavit, edit. noviss. 1699. 4to, p. 742. quem deinde sequuti sunt, qui  
easdem subinde passim allegant, Clariss. Joh. Möller. hypomnemat.  
ad Scheffer. Svec. liter. l. c. p. 383. Joh. Ern. Gerhard, diss. de Reli-  
gion. Moscovit. Respond. Schwabe, Jen. 1665. p. 13. Joh. Conr. Dan-  
bauer, Resp. Mich. ab Oppenbusch. Argentor. p. m. 31. & Christian.

Francisc. Paullini, Zeitverkürzend Erbaul. Lust. P. III. p. 105. qui quaestionem: *Ob die Moscoviter rechte Christen seyn?* fufius paulo inter recentiores ex pluribus autoribus tractat. p. 84-106. Sed non inferiora hisce Doctorum testimonii videas encomia, magno satis numero in praesentem nostri Bothvid. disputationem collata à Dn. Nic. Bergio Exercit. de Ecclesia & Religion. Moscovitica statu, Holmia 1704. 80. quam brevi recensu exhibent, quos supra laudavi, Celeberrim. Novor. Liter. Mar. Baltb. Collectores l. c. p. 364-367. Adducam saltem extantiora quadam, ut dictis fidem faciam, illius loca qualia sunt, qua in praefation. ): ( ): ( 4. ibidem habentur: In hac Musarum sede nihil fere ex professo, ut ita dicam, est publica luci expositum, si excipias theses 50. à Dn. D. Bothvidi anno 1620. ad disputandum propositas. Et rursus p. 6. 7. Ludovicus Dunte, Pastor Revaliensis in Casibus Conscient. occasione quaestionis: *An Moscovita sint Christiani?* nonnulla de Religione commemorat Cap. XVI. Sect. II. quest. 6. & ea, quae à Dn. D. Bothvidi disputata, in compendium redegit. Itemque p. 12. Job. Bothvidi plurima de Religione (Moscov.) dixit. Quam variis insuper locis ad Bothvidi nostri testimonia provocet Summe Reverend. Bergius, & ipsa libri ipsius, quem boni quique impense aestimant, inspectio, p. 61. 122, 163. 172, 240. &c. edocebit uberius, & praesentis jam non est instituti pluribus indicare. Quod postremo nunc addimus, est ut Tuum tandem, Lector Benevole, circa conatum hunc nostrum, compellemus favorem. Is, si aliquam abs Te inire gratiam potest, accipe, quaso, quam Tuo hic iterum sistimus usui, Disputationem: frue-re feliciter hisce thesibus, &, si caetera quoque frui singulis feliciter cupis, ex voto tum meo, tum tuo, quam optime vale.

Caspar. Henr. Starckius  
Lubecens.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIP<sup>I</sup> AC DOMINO,  
D O M I N O  
GUSTAVO ADOLPHO,  
Svecorum, Gothorum, Wandalorum &c. Regi,  
Magno Duci Finlandiæ, Duci Estoniæ, & Careliæ,  
Domino Ingermanniæ.

*Gratiam & pacem a Deo Patre per Jesum Christum Dominum  
nostrum.*

**N**on ita pridem, Serenissime Rex, Domine  
Clementissime, jussit R. V. M. ut theses de  
utili illa quæstione, licet inusitata, utrum  
Muschovitæ sint Christiani? more Scholastico  
componerem, easque in Academia Upsaliensi, Do-  
minis Professoribus, Viris omni scientiæ laude or-  
natissimis, publice discutiendas offerrem; addita hac  
animi declaratione clementissima, velle nempe R. V.  
M. simul adesse, & decisionem audire. Et si autem  
id in principio, quoniam & lingvæ Moschoviticæ  
notitia, & Historiarum Rhutenicarum copia de-  
stitutus fui, arduum ac difficile mihi videbatur, id  
tamen in me suscepi, ac potius volui aliqua laboris  
gravitate premi, quam rem tam præclaram è mani-  
bus, præ animi timiditate abjicere, præsertim, quia  
intellexi R. V. M. propositum, in vera quæstionis il-  
lius explicatione cum Ecclesiæ Christianæ emolu-  
mento,

mento, ac æternæ laudis apud posteros memoria  
conjunctum esse. Quoniam itaque Rex potentis-  
sime, ad optatam metam lingua Rhutenica perve-  
nire mihi non licuit, varios coactus sum, gentis isti-  
us Scriptores Latinos conquirere: Ac ubi eorum  
bene magnam partem evolvi, deprehendebam ple-  
raque, quæ ad propositum nostrum faciunt, ab illis  
annotata fuisse. Ea igitur ordinis melioris gratia ad  
certas classes revocavi, & alia Religionis Muscovi-  
ticæ originem, alia ad libros Sacros, alia ad fidei ar-  
ticulos, alia ad Ecclesiæ regimen, alia deniq; ad cul-  
tum divinum reduxi, indeque hasce quinquaginta  
theses construxi, in spem bonâ adductus, MUSCHO-  
VITAS ESSE CHRISTIANOS, cū ea, quæ in quinq; istis  
classibus dicuntur, non possunt, nisi de Christianis  
commode dici. Hoc, quicquid est, R. V. M. de-  
misse humiliterque offero, dico, confesco. Quod  
si quid expectatione minus R. V. M. invenerit, id  
in meliorem partem pro solita Regia benevolentia  
accipere velit. Commendo R. V. M. Divinæ boni-  
tati & clementiæ: ea R. V. M. largam & perennem  
benedictionem toto vitæ curriculo cælitus demit-  
tat per Jesum Christum Dominum nostrum Amen.

R. V. M.

*Subjectissimus*

JOHANNES BOTHVIDI.

# THESIS I.

De quaestione:

Utrum

## Muschovitæ sint Christiani?

**Q**uoniam hic de quaestione, nostro seculo fere inusitata, nobis sermo erit: an videlicet Muschovitæ sint Christiani? operæ pretium est, in principio ejus rei causam afferre ne quid contra illud Pauli, 2. Tim. II, 23, *μαχαίς καὶ ἀπαιδέυσις ζητήσεις παραγῆ, εἰδώς, ὅτι γενῶσι μάχας*, factum videatur. Fieri enim potest, ut Muschovitæ plurimi, (sicut humanarum rerum fors est) vel in captivitatem eant, vel etiam vicinos Reges Christianos, jure belli Dominos agnoscant. Itaque Reges illi, si cuti veri sunt utriusque tabulæ custodes, ac Ecclesiæ nutritii: ita quoque curam salutis eorum suscipere debent. Quæ si procuranda est, ab informatione Catechetica, & lavacro regenerationis initium fieri debet. Iam vero, si planum fuerit, eos esse Christianos rite baptizatos; tantum in agnita veritate confirmandi sunt, & deque humanarum traditionum superstititione erudiendi sine iteratione baptismi; nisi quis Anabaptistarum errorem sequi voluerit.

II.

Sit ergo hæc quaestio, dicta de causa, futuræ disquisitionis materia: an Muschovitæ sint Christiani? Per Muschovitas intelligo populos, Magno Duci Muschovitarum antiquitus subiectos: per Christianos eos homines, qui sunt in Ecclesia Christi.

III.

Hujus affirmativam duabus conclusionibus perspicuam facere conabimur, ostendentes primo, religionem Christianam in Muschoviam aliquando fuisse introductam: deinde eandem

A

in

in hodiernū diem usque ibidē conservatā esse. Ultramq; ita informabimus, ut ea etiam, quæ vel explicationis, vel correctionis, vel etiā refutationis gratia sunt necessaria, non intermissa videantur.

IV.

17 16  
—  
Quamvis autem prior conclusio inde inferri queat, quod Evangelium Jesu Christi, & debuit in omni gente atque ita consequenter Muschovitica prædicari Ps. XIX. v. 4. & 5. Marc. XVI. 15. 16. & potuit facile in Muschoviam propagari: quia eo ex Judæa, terra marique satis facilis est transitus: hæc tamen suo loco relinqvenda & ad ea, quæ de Religione Muschovitica à bonis auctoribus in commentarios relata sunt, properandum esse existimamus.

V.

Scribunt itaque, terram Ruffiæ à S. Andrea, B. Apostoli Petri fratre esse baptizatam, & benedictam, quem Muschovitici annales ex Græcia per Pontum Euxinum ad ostia Boristenis, indeque in Chioviam ac Novogardiam magnam venisse affirmant, ut habetur in Opere de variis rerum Muschoviticarum auctoribus p. 20, 133. 172. & 256.

VI.

Sed dicat aliquis, istam narrationem fabulam esse, quia in eodem Opere Paulus Jovius p. 126. refert, ante quingentos annos, Muschovitas gentilium DEOS coluisse, quoniam vero neque testimonia, neque rationes ullas affert, merito annales Muschoviticos, nudæ Jovii relationi præferimus. Et si maxime, quod de S. Andrea dicitur, fabulam esse constaret, eatenus tamen ad propositum nostrum faceret, quatenus Muschovitas Christi doctrinæ non in universum ignaros esse, vel fuisse demonstrat.

VII.

Deinde, si Muschovitæ post Apostolorum tempora, ut in aliis quoque gentibus sæpe evenit, ad solitos Idololatriæ Veteris errores redierunt: non tamen jam erunt è Christianorum al-

bo expungendi. Afferit enim Zonaras, anno partæ Salutis 870. *d 27*  
vel circiter, ante Wolodimiri tempora Muschovitis à Basilio,  
Rege Constantinopolitano Episcopum missum, cujus opera ad  
religionem adducti fuerunt. Addit, illos non potuisse permoveri,  
ni miraculum cernerent: Episcopum itaque, postquam  
preces aliquot recitasset, Evangeliorum codicem in ignem projecisse,  
eumque illæsum permanisse. Hoc miraculo adductos,  
ut Christi dogmata pro veris haberent, iisque se addicerent;  
ut est in Genealogia Magni Ducis Muschovitarum in principio prænominati Operis,

### VIII.

Postea circa annum Domini 968. profecta est Olha, civis  
Pleschoviensis filia, uxor Igoris Magni Ducis Muschovitarum  
in Græciam, baptismumque sub Rege Johanne Constantinopolitano  
suscepit, mutatoque nomine Helena dicta est. Hæc religionem  
Christianam in Muschovia longe lateque propagavit, ideoque etiam  
Muschovitæ eam Soli æquiparant. Sicut enim, inquit, Sol ipsum  
mundum illuminat, ita ipsa Russiam fide Christi illustravit,  
ut est in prænominata Genealogia, & paulo post in eodem Opere, p. 3.

### IX.

Hanc Olham vel Helenam anno fere 980 sequebatur ex filio  
Stoslao, vel Swatoslao nepos Wolodimirus, totius Russiæ  
Monarcha, qui matrimonio cum Anna sorore Basilii & Constantiniani,  
Regina Constantinopolitanorum contracto, salutari baptismatis fonte  
tinctus est, & Christianam religionem cum Ecclesiæ Græcæ ritibus,  
seu ceremoniis suscepit, mutatoque nomine Basilius est dictus.  
Ab eo tempore Russia in fide Christi permansit, ut est in ead.  
Genealog. & eodem Opere p. 5. 126. & 171.

### X.

Quæ omnia conclusionem priorem evidenter comprobant:

13

B

Reli-

Religionem scilicet Christianam aliquando in Muschoviam fuisse introductam. Consequens est, ut ostendamus, eandem in hodiernum usque diem ibidem conservatam esse.

## XI.

Quod, ut planum perspicuumque fiat, videndum est primo, quos sacros libros lingua literisque habeant Illyricis: deinde, quos Religionis articulos, præterea quale Ecclesiæ regimen, ultimo qualem cultum divinum. Quod si in his cum orbe Christiano magna ex parte faciunt, causa nulla est, cur eos extra Ecclesiæ limites positos esse velimus.

## XII.

432.

Illyricam voco linguam, quæ <sup>c</sup>Slavis, Croatis, Bohemis, Dalmatis, Polonis, Lithuanis, Russis, Muscovitis, aliisque populis est communis, in Opere p. 1. Eaque omnium latissima perhibetur: nam Constantinopoli Ottomannorum in aula familiaris est, & nuper in Ægypto apud Memphiticum Sulthanum atque Equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur, in eodem Opere, p. 128.

## XIII.

Hac lingua, sed dialecto propria totam Sacram Scripturam typis expressam habent, p. 152. & 256. Eandem plurimi faciunt, sacro loco semper reponunt, & summa cum reverentia, quoties opus est, in manus sumunt, p. 29. & 172.

## XIV.

Deinde sunt, qui plerosque Græcos Patres in linguam Slavicam, partim à Methodio, & Constantino, p. 351. partim à D. Hieronymo & Cyrillo traductos asserunt p. 128. Sed Muschovita dogmata præcipue sequuntur Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni, & Johannis Chrysostomi, quem Sloto ulti, id est, os aureum appellant, p. 31. & 173. eorumque homilias propria lingua ad populum pronuntiant, ut infra thesi 45. docebitur.

## XV.

## XV.

Ad hæc usitata symbola, primasque septem Synodos generales agnoscunt, in quibus fidem orthodoxam & Christianam dicunt institutam fuisse, ac prorsus confirmatam: ita, ut sapientia DEI in illis, tanquam septem columnis sibi domum ædificaverit. Reliquas omnes rejiciunt, dicunt enim, in septimo generali concilio conclusum esse, ut ea, quæ in præcedentibus constituta ac determinata erant, in posterum quoque rata & perpetua essent: nec unquam cuiquam licere, aliud Concilium indicere, sub pœna anathematis, p. 22. & 173.

## XVI.

Præcipue vero ea, quæ in prima Nicœna Synodo conclusa, ac à Basilio Magno & S. Chrysofomo tradita & prædicata fuerunt, tam sancta, tam firma, tam sincera esse affirmant, ut ab illis hæcenus nunquam licuerit, transverso digito, ut ajunt, recedere cuiquam, sicut neque à Christi Evangelio.

## XVII.

Ultimo loco illud quoque addendum est, quod præter annales patrios, etiam Alexandri Magni, Romanorumque Cæsarium, itemq; Marci Antonii, & Cleopatras memoriam habeant iisdem literis commendatam. Unde facile perspicitur, prudentiam eorum politicam in rebus gerendis non soli naturali solertias, sed etiam talium historiarum cognitioni acceptum ferendam esse, p. 128.

## XVIII.

Sequitur, ut de fidei articulis, Secundo loco agamus; de quibus Muscho vitæ cum Græcis opinionem communem alunt, p. 256. Primo unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate venerantur, p. 256, præclareque sentiunt, eum peccati causam non esse: sed perennem potius perpetuumque omnium bonorum fontem, p. 257.

## B 2

## XIX.

## XIX.

Hic dicat aliquis, Muschovitas & Græcos in hoc articulo pariter errare: quia Spiritum S. non a Patre & Filio, sed à Patre per Filium procedere asseverant. Verum ea controversia in conventu Florentino circa annum Christi 1436, magna partium contentione agitata, eum exitum habuit, ut pertinacia Græcorum in sermone potius, quam sensu castiganda videretur: cum Græci Antistites, evidentissimis convicti rationibus, Spiritum S. à Patre & Filio procedere faterentur. Unde colligitur, prudentiores Muschovitas, aliosque pios in Oriente, qui quondam Græcam Ecclesiam seqvuti sunt, ea in re mitius sentire, quam loqui. Sed de his in examine copiosius,

## XX.

Porro, quod Spiritus S. à Patre & Filio procedat, non solum Scripturæ, sed etiam Patrum tam Græcorum quam Latinorum testimoniis, ubi opus fuerit, luculente probari potest. Procedit autem ab utroque, velut ex uno fonte essentiali: ut enim Pater & Filius sunt unum essentia, sic in producendo uno eodemque Spiritu consubstantiali sunt unum essentiale principium & sub essentiæ ratione, unum omnino inspirando *συνδιδόμενον*: ita tamen, ut Pater habeat illam facultatem spirativam à se, Filius per ineffabilem generationem accipiat.

## XXI.

Deinde Sacram Scripturam maxima veneratione prosequuntur, p. 140. & 172. Quod autem omnes libros Pontificio more, ut quidam volunt p. 140. pari pietatis affectu suscipiant, dubium esse potest. Constat enim ex prologo Galeato Hieronymi & Eusebii, Cæsareæ Palæstinæ Episcopi Histor. Eccles. lib. 3. c. 3. & 25. veterem in Oriente Ecclesiam, quam Muschovitæ seqvuntur, aliter sensisse. p. 126. & 256. Sed ut ut est, nunquam possunt libri sacri, utriusque testamenti, sine incredibilem veritatis jactura, sublato Canonicorum & Apocryphorum discrimine, in unum quasi chaos confundi.

## XXII.

## XXII.

3. Decem præcepta eadem autoritate tenent, qua Mosis primo tradita sunt, quasi nunquam intermoritura, certi per verbum Christi, quod venerit, ut impleret legem, minime, ut solveret p. 146.

## XXIII.

4. Originalem labem nobiscum vehementissime deplorant, naturam hominis extreme corruptam asserentes; ita ut in locum imaginis Dei, sanctitatis, veræque justitiæ, nunc contemptum numinis, injustitiam, impietatemq; successisse opinentur. Ajunt non esse in carne nostra bonum, omnesq; homines in tenebris & densa ignorantium nocte sepultos violare mandata DEi; & ex pravo corde, tanquam ex perenni fonte, omnium malorum rivulos descendere p. 256.

## XXIV.

5. Fidem salutis fundamentum ponunt, sed vivam fidem & eam, quæ a bonis operibus testimonium habet. Ideo fieri non posse putant, ut quis bonorum operum excellentia destitutus Deo jungatur, & vivat p. 256.

## XXV.

6. Quoniam peccata, sin omnibus hominibus prædominantur, vere solideque coram Deo & homine agnoscenda, & virtutes vitiiis contrarias exercendas esse docent. Et quamvis ex vulgo nonnulli affirmant, confessionem ad Dominos pertinere: sibi autem in DEum Patrem & Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum S. simpliciter credere, (sicut ubivis gentium agrestes animi garrire solent) satis esse: non tamen eis licere in ea re, quod libet, certum est, quia omnes confessionem ex præscripto habent, ut sub pœna exclusionis in Paschate confiteantur. p. 29. 138. & 176.

## XXVI.

7. Baptismum pro Sacramento primo, adeoque præci-

puo ducunt: quapropter hoc, si quisquam neglexerit, deriseritq; mortis poena affligitur. Baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus S. p. 136. Infantes baptizant, quia, inquit, peccato originis contaminati sunt: itaque necesse est, ut in luminis auras editi, statim Christo offerantur & baptizentur, p. 256. Perhibent aliqui, baptizandi muneri, quæcunque necessitas inciderit, neminem hominum sufficere, nisi Sacerdos extiterit, p. 136. Sed primus Canon Johannis Metropolitanæ eorum dicti Prophetæ jubet quoque pueros in necessitate absque Sacerdote baptizari, p. 24.

## XXVII.

Quoniam autem quæstio nostra in hoc articulo tota sita est, ut cum eo stetq; cadatq; necesse est, hic aliquid de veritate baptismi apud Moschovitas agamus. Nam si constiterit, illos verum habere baptismum, planum quoque erit, eos esse Christianos; cum baptismus verus sit in universo orbe janua Ecclesiæ Christi.

## XXVIII.

Jam quatuor sunt præcipue, quæ baptismum apud Moschovitas labefactare videntur. *Primum*, quod eum in tertia persona conferunt, v. g. Baptizetur servus Christi in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. *Secundum* est error de processione Spiritus S. & consequenter in forma baptismi. *Tertium* corporis totius, quam exactè requirunt, immersionem. *Quartum* ceremoniarum variarum tanta copia, ut nescias, cui rei ipsam regenerationis efficaciam attribuant.

## XXIX.

Respondetur ad primum: Non multum interesse, si ve quis dicat: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. si ve: Baptizetur talis servus Christi Jesu in nomine P. & F. & Sp. Sancti. Si ve: Baptizetur manibus meis talis in nomine P. & F. & S. Sancti, sed interim verum perficitur baptisma, quia tota Trinitas, a qua virtutem habet baptismus, & efficaciam omnem, secun-

secundum institutionem Christi Matth. XXVIII, 19. sincere exprimitur, p. 136. Sacerdos autem, sive in prima, sive tertia persona institutionis verba pronuntiet, non errat: Minister enim est baptismi tantum, non Magister, nec pendet efficacia ex verbis: Ego baptizo, vel baptizetur talis; sed ex institutione J. C. Quocirca baptismus in tertia persona collatus iterationem necessariam non postulat, ut etiam in Concilio Florentino, cujus supra mentio facta est, conclusum fuit, p. 28. Sciendum tamen est, formam in nostris Ecclesiis receptam, convenientiorem esse.

XXX.

Ad secundum ea, quæ supra th. 18. dicta sunt, sufficiant,

XXXI.

Ad tertium. Sive quis totum corpus aquis immergat: sive partem tantum, puta frontem, pectus, vel caput guttis aquæ conspergat, idque vel semel, vel ter; in veritate Evangelii recte ambulat: hæc enim adiaphora sunt, libertati Christianæ subiecta. Quocirca totius corporis immersio per se damnari non potest: sicut neque partis alicujus aspersio, in qua, licet aqua pectus vel caput abluat tantum: virtus tamen baptismi, quam ex institutione habet, ad totius hominis regenerationem valet. Est enim hæc aqua vi ordinationis DEi ita penetrans, ut ad ipsam quoque animam intrinsecus abluendam pervadat. Deinde Muschovitæ non semper & necessario immergunt, sed etiam aqua conspergunt, etiam rarius: conspersio enim minus sufficiens judicatur, p. 136.

XXXII.

Ad quartum. Certum quidem est, eos in baptismò ceremonias adhibere plurimas, sed non continuo in certum, cui rei opus regenerationis attribuant, nempe soli baptismò: clare enim dicunt, eo tantum peccata deleri, p. 256. Porro ex ceremoniis talibus nonnullæ sunt utiles, e. g. usus Patrinatorum; adhibentur enim, ut baptismi testes sint, pro salute infantis orent,

& suo tempore eum in pietate informant p. 136. Nonnullæ superstitiosæ, quæ, quia baptismi virtutem, quemadmodum etiam Romanæ, obscurant, hominibus rectius informatis merito tolluntur.

XXXIII.

B 2. x.  
u  
8. Circumcisionem Veteris Testam. est Judæismum totum plane rejiciunt: imo in detestationem illius nec quisquam Judæorum per universam Ruthenorum imperium admittetur, etiam si multis aureorum millibus hoc consequi præsumeret.

XXXIV.

9  
9. Sacramentum Cœnæ Presbyteri, sub utraque specie populo dant universo, p. 29. 126. 136. & 257. Pane utuntur fermentato, quia, dicit Metropolita eorum Johannes in Epist. ad Episcopum Romanum, Christus tali pane utebatur: nam tum non stabat (quod necessarium erat in agno Paschali comedendo, ubi azymi panis usus erat) sed accubebat cum duodecim ad mensam. Itaque certum est, ait, eum pane fermentato usum fuisse. p. 23. Deinde calici paululum aquæ tepidæ admiscunt, quia dicunt, ex latere Domini sanguis profluxit, & aqua, quam calidam fuisse credere fas est. p. 136. Præterea panem divisum in particulas calici addunt, easque cochleari communicantibus cum vino exhibent p. 29. Tandem pueros quoque ad cœnam Domini admittunt, p. 29.

XXXV.

errato  
B 4.  
11.  
Verum scimus in se, ac per se, extra casum scandali *αδιάφορον* esse, pane azymo uti, vel fermentato, quare in re sua natura libera, conscientias opinione necessitatis prægravare nemo debet. In sequentibus duobus tutissimum est Jesu Christi, Filii Dei institutionem testamentariam strictè observare, & modum administrationis inde petere. De quarto, nota est Apostoli regula I. Cor. XI, 28. *δοκιμάζετε δὲ ἑαυτὸν, καὶ ἄρας ἐκ τῆ ἀρετῆς ἐδίετω, καὶ ἐκ τῆ ποτηρίας πινέτω.* Iam pueri usu

usu rationis destituti, se ipsos probare nequeunt, quare à Cœ-  
næ usu merito arcentur.

XXXVI.

10. Matrimonium ita Muschovitæ contrahunt, ut quantum  
consanguinitatis gradum non attingant, p. 177. Hoc nulli  
nec Sacro, nec profano interdicitur, p. 152. Sponsalia in tem-  
plo præsentate Sacerdote publice celebrant, lecto Evangelio de  
nuptiis Canæ in Galil. & nonnullis Psalmis, p. 177. Similiter  
matrimonia publice fiunt, p. 25. Tertiam uxorem ducere viro  
vix concedunt: quartam vero nec concedunt, neq; etiam Chri-  
stianum esse judicant. Divortia Episcopi sæpe permittunt.  
Sed sacræ literæ docent, vinculum conjugale in morte esse so-  
lutum, Roman. VII, 1. 2. 3. I. Cor. VII, 39. ut pio liberum sit  
ad alia transire vota I. Cor. VII, 2. & 3. Hebr. XIII, 4. De-  
inde divortia ad certos casus revocant, Math. XIX, 9. I. Cor. VII, 15.

XXXVII.

11. Inter cætera autem beneficia, quibus humanum genus  
cumulat DEUS, non postremum & hoc esse testantur, quod  
Imperia orbis conservat, quod certos homines ordinat, qui  
Respublicas piarum & impiarum gentium administrant, ne om-  
nis humanæ vitæ ratio & ordo pervertatur, & omnia plena  
sint tumultu & confusione. Itaque omnes, qui ad clavum im-  
periorum sedent, honorandos asseverant; illos etiam, qui à  
justitia & pietate recefferunt, p. 256. & 257.

XXXVIII.

12. Extremum judicium credunt & expectant, quo qui-  
dem nihil clarius, nihil illustrius & magnificentius, nihil probis  
hominibus optatius, nihil improbis horribilius futurum arbi-  
trantur: illud etiam addentes, eos, qui cum pietate & justitiâ  
vixerunt, definitum in cœlo locum habere, in quo summis bo-  
nis

nis expleti, & Christo gloriae communiōe conjuncti, sempiterna lætitia cum immensa & inexplicabili voluptate perfruuntur. Impiis econtra, & illos, qui falsas religiones coluerunt, quique DEUM res humanas non curare existimarunt, procula consortio & cœtu beatorum seclusis, æternas tenebras & gehennæ incendium paratum esse, p. 257.

### XXXIX.

Ultimo Romanam Ecclesiam cæterarum omnium principatum obtinere superbe negant, p. 127. Confirmationem rejiciunt, p. 174. Purgatorium non agnoscunt: sed unumquemque dicunt secundum opera post mortem locum designatum habere, ubi diem extremi judicii exspectet, p. 30. 127. & 174. Cæmeteria non consecrant, p. 30. & 175.

### XL.

65  
Hactenus de fidei articulis: pergamus tertio loco ad Ecclesiæ Muschoviticæ regimen. Metropolitanam vel Principem Sacrorum unum habent, videlicet Episcopum Muschoviensem. Is dignitatis gradum olim accepit à Patriarcha Constantinopolitano p. 256. Cui Magnus Dux quingentos aureos nummos in elemosynam, quo vivere & Turcicæ servitutis finem æquamente exspectare possit, adhuc quotannis numerat, p. 134. Antea Metropolita Episcoporum, & totius ordinis spiritualis consensu eligebatur: nunc vero solius Magni Ducis, qui jus hoc sibi adscivit, judicio constituitur, p. 20. 133 & 172. Deinde Archiepiscopos duos, Novogardiensem & Rostoviensem: Episcopos plures, videlicet Smolensem, Twerensem, Rezanensem, Susdalensem, Casanensem, Wologdensem, Columnnensem, & Cortizensem, qui omnes Metropolitanæ sunt subjecti: Abbates, seu Archimandritas paucos: Priores, seu Igumenos plurimos, qui omnes hodie Principis arbitrio, cui nemo resistere audet, eliguntur, p. 20. & 172. Mitras Archiepiscopi,

C

pi, Episcopi & Abbates nigras, & rotundas ferunt. Solus Novogardiensis albam bicornem fert more Romano. Præterea baculum in modum crucis formatum manu tenent, p. 22. Priores ordine sequuntur Sacerdotes & Diaconi, qui omnes in conjugio vivunt, p. 20. & 172. hostandem Monachi & Eremitæ, p. 31. C. 2.

### XL I.

Deinde certæ sunt Diœceses, templa & parochiæ, p. 133. & 139. monasteria quoque p. 32. & 135. ac scholæ, in quibus pueri bonis literis, maxime vero sacris, lingua instituuntur Rhenica, p. 140.

### XL II.

Episcoporum jurisdictioni subsunt Clerici, Monachi, Moniales, Proscurnicæ, Uxores & filii Sacerdotum, viduæ & obstetrices, ac Ministri monasteriorum, quique vestes monachorum conficiunt, & similes, p. 33. Officium Episcoporum est, ordinare Sacerdotes, p. 134. ac dissidia in religione componere, p. 133. Sacerdotum ter in septimana sacra peragere, p. 21. & 135. De Eremitis legitur, quod ad varias regiones, Septentrionem versus & Orientem litas cum maximo vitæ periculo eant, sine spe alicujus commodi, tantum ut eos, qui DEum non noverunt, ad Christum perducant, p. 31.

### XL III.

Episcopi necessarios proventus habent ex prædiis, aliisque extraordinariis accidentibus & beneficiis. Arces vero, vel civitates, & seculares administrationes eis sunt ademptæ, p. 172. Sacerdotes plerumque ex contributione Curialium sustinentur, assignanturque eis domunculæ cum agris & pratis, unde victum quæritant, p. 21. C. 2.

#### XLIV.

Hæc de Ecclesiæ regimine: Sequitur ultimo de Cultu divino. Primo diem dominicum servant, p. 135. Festa quoque tum majora, ut Natalem Domini, Pascha, & Pentecosten, cujus Feria secunda celebrant festum Trinitatis, p. 140. & 173. tum minora, ut Mariæ Matris Domini, & aliorum Sanctorum, p. 30. & 134.

#### XLV.

Deinde sacra peragunt materno idiomate p. 34. & 152. In Missa extra chorum, Epistolam & Evangelium populo astanti recitant, p. 31. 34. & 173. post cantionem Seraphicam Symbolum Nicænum decantant, p. 136. Homilias quoque Ecclesiæ Doctorum lingua vernacula publice legunt, p. 127. 256. & 351.

#### XLVI.

Sed hic in Muschovitis duo reprehendi solent: prius, quod in templis omne tumultuario faciant sine mente & sensu: posterius, quod Concionatores non habeant. Sed ii, qui res Muschoviticæ coram cognoverunt, dicunt Epistolam & Evangelium, quo magis a populo astante percipiuntur, extra chorum clara voce recitari, p. 34. & 173. Itaque id sine tumultu & confusione fieri, credibile est. Et si maxime aliquid tale vel linguæ volubilitate, vel consuetudinis vitio alicubi contingeret, id tamen in totam Muschoviticam Ecclesiam sine certa causa transferri non debet.

#### XLVII.

Porro, quod Concionatores non habeant, ejus rei hæc afferunt rationes: Prima, quia rudes imperitorum animos simplici potius doctrina, quam altissimis arcanorum interpretationibus ad sanctiorem morum frugem evadere arbitrantur, p. 127. Secunda: dicunt, se hoc modo varias hæreses & diver-

fas de fide opiniones effugere, quæ ex concionibus & subtilibus argumentis, sophisticisque quæstionibus oriuntur, p. 31. & 173. Tertia: quia sufficere putant, quæ a veteribus Doctoribus Græcis sunt tradita, & in propriam linguam eam ob causam traducta, studioseque conquisita, quando è scripto publice pronunciantur, p. 351.

#### XLVIII.

In Ecclesiis conveniunt frequentes, p. 139. Orationes prolixas & quotidianas ad Deum fundunt. Literati orationum libros ab Ecclesia receptorum habent, p. 138. Communis oratio Muschovitarum est: Jesu Christe, Fili Dei vivi, miserere nostri, p. 176. Dant decimas de omnibus rebus in usum pauperum, pupillorum, infirmorum, senum, advenarum, & captivorum, p. 33. Dant eleemosynas pro facultatum ratione, juvant pauperes & nudos vestiunt ex mandato Christi Matth. XXV, 35. In Opere p. 139.

25. v.

#### XLIX.

Denique Apostolos magno loco habent, ut & alios Sanctos, præsertim Nicolaum, quondam in Lycia Myræ Episcopum, quem Ozudothworetz, seu *Θαυμασίτης* appellant, p. 140. In horum veneratione videntur nimis occupati: satis enim Sanctos venaratur, qui eorum fidem & mores imitatur.

#### L.

Quæ, quoniam ita se habent, sequitur, Religionem Christianam in hodiernum diem usque in Muschovia conservatam esse: atque ita Muschovitas esse Christianos, quod erat demonstrandum. Idem etiam sine his, ex literis Basilii Magni Ducis Moschovitarum circa annum 1524. ad Clementem VII. Pontificem missis, quisque facile colligere potest, in quibus ita scribit: Nos, sicuti hactenus adversus impios Christiana Religionis hostes impigre constanterque stetimus, ita impo-

4  
2  
stare decrevimus, p. 121. Et ex epistola eorum Metropolitanæ ad Episcopum Romanum, quæ ita habet: Mirari satis non possum, quis Diabolorum tam malus ac invidus, tam veritati inimicus, ac mutua benevolentia adversarius fuerit, qui fraternam nostram caritatem à tota Christiana congregatione alienavit, dicens, nos non esse Christianos, p. 22. Item ex iis, quæ Lutherus Tom. 7. Witt. p. 223. & Philippus Nicolai. Tom. I. Oper, Germ. p. 3. & seq. in eandem sententiam scripta reliquerunt. Interim Muschovitas suos habere errores, non diffitemur, quos partim supra attigimus, partim etiam brevitatis causa omisimus. O utinam eis aliquando renascentis Evangelii lucem propius adspicere liceat! ita sine dubio abjectis errorum flexibus recto pede, ut veritati Evangelii congruit, incedent. Hæc sunt, quæ in nomine Sanctæ Trinitatis veritatis gratia proponere voluimus. Ea adoranda Trinitas nomen suum in gentibus gloriosum faciat, per Jesum Christum Dominum nostrum  
Amen.

---

Errata, quæ propter nostram absentiam forte irreperunt plurima, æquus Lector benevole condonabit.



Epi-  
quis  
c mu-  
m ca-  
s, nos  
om, 7.  
p. 3. &  
n Mu-  
im lu-  
Ouri-  
adspi-  
pede,  
in no-  
ajrus,  
ofum  
n

nt plu-

